



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Magnetem ducs habere oppositos polos, borealem, & australem, &  
quomodo dignosci possint. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

ferri vires, & consortium exoptat, vt quod solus non potest, alterius auxilio præstet. Omne enim creatum suum esse tuetur. Vnde vt amico fruatur auxilio, & ne sua perfectione destituatur, non inuito ferrum ad se rapit, vel vltro se ad ferrum confert. Magnes lapides non trahit, quia eis nõ indiget, quum satis sit lapidis in mole sua, & si magnes magnetem trahit, non trahit ob lapidem, sed ob ferrum lapidi inclusum. Quæ diximus his argumentis innituntur. Magnetis fodinæ sunt, vbi & ferri venæ, hæc ex Galeno, & metallicis describuntur, & in vtriusq; confinijs lapidis & ferri nascuntur, & magnetes visuntur, in quibus plus lapidis, & in alijs plus ferri. In Germania lapis magnes eruitur, ex quo optimum ferrum elicitur, & magnes dum in ferri scobe excubat, vegetiores vires nanciscitur, & oblitus, vel neglectus eas amittit. Vidimus plerunq; non sine magna animi nostri voluptate magnetem accensis carbonibus tumulatum, caruleam flammam, sulphuream, & ferream eructare, qua dissipata simul cum abeuntis animæ qualitate trahendi beneficium amisisse. Putor ferri, & sulphuris, vt qui ferrum in calcem reducunt, destruunt, vel alijs chymisticis operationibus vacant, facile experiuntur. Eandemque animam alteri inditam, eandem consequi facultatem necessarium iudicauit.

*Magnetem duci habere oppositos polos, borealem, & australem, & quomodo dignosci possint. CAP. III.*

**Q**VIA magnetis effectus varijs, & multiplices sunt, ab eius effectibus distinctionem exordiemur, vt lectores plus documenti, & emolumentum recipiant. Magnetis effectus vel solius lapidis sunt, vel ferri à magne- te affricati, vel vtriusque lapidis & ferri. Lapidis simplices effectus sunt, lapidem trahere, cœli vertices ostendere, & similia; sunt & misti, compositiq;. Dicemus igitur primo lapidi inesse duo puncta, ex opposito constituta, tam magnæ, quam minimæ parti, quæ vocamus polos, quorum vnum ad Boream, alterum ad Austrum dirigitur, videlicet si liber lapis relinquatur pendulus, sine sui ponderis impedimento, quod vltro ad Septentrionem

trionem dirigitur, & contraria pars ad Austrum. Modus experiendi is erit. Capiatur suberis frustillum, ferula, vel alterius leuis ligni, atq; in cymbæ formam coninnetur, quæ sustinendo lapidis oneri sufficiat, in hoc vas lapis imponatur, vt fundo equidistet, cymba in vas aquæ plenum ponatur, vt vltro, citroq; moueri possit, ne à quouis impediatur, sic dimissa, nunquam quiescet cymba, quin punctus lapidis directè Septentrioni opponatur, & oppositus Austro. Quum quieuerit per se nauicula, bis, terve digito circumuolues, sic iterum à motu quiescente, ad eundem locum redibit, & certior fies borealis lapidis puncti, & sui oppositi. Quamplurimis alijs modis eiusdem rei conscius esse poteris, in æquilibrium eum accommodando, vt in nautica pyxide, nam vbi liber ex se moueri poterit, vltro ad prædictum punctum dirigitur, idemq; euenit, si tenui filo suspendatur. Hinc facile discere poterimus

*Quomodo magnes alter altero perfectior cognoscatur.*

Quod ex eiusdè rei inspectione quis conscius facile esse possit, qualis magnes fuerit effere, vel actioris virtutis, ipse enim, qui citius, expeditiusq; nauiculam, ad punctum suum deuoluerit, & repertum quieuerit, valentioris, potentiorisq; virtutis nobis argumèto esse poterit, qui vero ægrius suum opus absoluert, scilicet quod pigre, lenteq; ad suum locum redierit, & sæpius hærebit, languidioris, hebetiorisq; Possunt & aliter certiores fieri, quippe qui prædicto puncto dum adherere cupierit, & suo fungi officio maiorem ligni molè, vel cymbam circumuoluet, non segniter, & cunctando, sed expedite, is planè viuacior existimandus. Et si plures sint modi, his tamen cōtentus esse poteris nūc, alijs locis alios dicturi.

*Lapidis vim per rectam lineam à Septentrione in Austrum per suam longitudinem diffundit.*

C A P. I V.

SE D duo puncta, quæ diximus, lineam in suis extremis recipiunt, quæ per medium lapidis distenditur à Septentrione in Austrum, hæc si quis fracto lapide

T